

Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Cartularium Dunense Maioris Monasterii Nr. 9

Nosse debebitis si qui eritis posteri nostri, Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, militem quendam Castriduni, nomine Gaufredum, emisse III. arpennos vinearum in terra nostra de vico Chamartio, ea scilicet convenientia, ut post obitum suum in nostrum devenirent dominium, cum domo quadam, quam ipse iam habebat in vineis eiusdem, pluribus mansionibus multiplicem. Unde et prensionem ac census earumdem vinearum quoad viveret, perdonavit illi Rodulfus noster monachus, praefati vici tunc temporis praepositus, cum quo sibi de illa emptione convenit. Emit igitur et fecit nobis donationem domus et vinearum ratione qua diximus. Post annos plurimos obiit. Fulcherius honoratus quidam, filius Nivelonis vineas ipsas domumque pervasit, sibi haec illum dicens dimisisse defunctum. Vix quandoque recognoscens rectum nostrum sub hac res illas ratione reliquit, ut obtinere eas quoad viverent sinerentur, ipse scilicet suaque quam inde dotaverat uxor nomine Hildeburgis, filia Guillelmi cognomento Goiti. Post ipsos autem suorum penitus nullus hereditatem illis usurparet in rebus, sed in dominium nostrum quieto iure redirent. Ipsis etiam viventibus in recognitione iuris nostri solveretur nobis ex eisdem vineis modius unus vini quot annis. Acta vel pacta sunt haec primo in capitulo nostro, ascitis praeter monachos testibus istis: Rotberto sartore, Hilduino sartore, Durando Risello, Arnulfo filio Rainerii, Landrico sartore, Herveo Ramario, Galterio et Guarnerio, famulis de elemosina. Guarnerio Oculo canis, Gualterio Piello, Huberto filio Mainonis, hominibus eiusdem Fulcherii, qui cum eo venerant in capitulum. Postea in eodem Camartio vico eandem vinearum illarum, domusque guerpitionem ita fecit, ut de ipsa domo eam suis omnibus exiret ipsa, nostrique homines, decisa particula cuiusdam domus ipsius stipitis nostri in ea signarent testimonium, viris ibi quoque tunc inter alios quamplurimos presentibus istis, deinceps testificaturis. De hominibus Fulcherii praesentes affuerunt isti: Ingelbertus de Vibreia, Milo bastardus, frater Fulcherii, Ansgerus, Hugo Palestellus, Achardus filius Ilberti, Johannes Plenerius, Airicus, Guillelmus. De hominibus Sancti Martini de Chamartio hii : Nivardus maior, Ansbertus frater Nivardi, Rainaldus bastardus, frater eorum, Gislebertus presbyter, Bernardus famulus, Rainaldus et Guillelmus fratres, Gausbertus Pictavensis, Anselmus de Cerniaco, Girardus faber, Wido, Hugo filius Raimbaldi, Fulcherius Ferrahircum, Michael cementarius, Arembertus et Gaufredus frater eius coriarii, Belinus et Albertus coriarii, Gaufredus de Bez et Johannes filius eius, Rotbertus fullo, Corbellus, Giraldus faber, Archembaldus sutor, Constantinus ioculator, Aimericus. De famulis domni Alberti abbatis isti: Ansegisus, Andreas de Ponte, Herveus de Columbariis, Herveus famulus, Rotbertus sartor, Gaufredus coquus, Petrus coquus, Gauzlinus mariscalcus, Galterius Nasons, Baldricus, Gausbertus, Mainardus. De monachis nostris: Gualterius monachus, Genso monachus, Herveus monachus quondam vicecomes, Sigo monachus, Drogo monachus.